

in deserto, ab Ezechia Rege comminui voluit, lib. 4. Regum Cap. 18. v. 4. Consilia non mutavit; quia non ea mente serpentem æneum conflagrari voluerat, ut perpetuo duraret, sed ut ea dumtaxat urgente necessitate, laboranti populo morderetur.

VII. Neque magis nos anxios, & sollicitos habet, quod Judæorum aliqui curiosi observant: Malachiam Prophetarum ultimum, Cap. ult. v. 4. Mosaica Legis observantiam inculcasse, usque ad extremum Mundi diem: *Memento Legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb, ad omnem Israel præcepta, & judicia. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & convertet corda patrum ad filios, non forte veniam, & percussiam terram anathemate. Indeque effectum, ut Jesus ipse noster, ne falsus Propheta, falsusque Messias agnosceretur, non semel protestatus sit, non venisse se legem solvere, sed adimplere, Matth. Cap. 5. v. 17. Quod videlicet probe sciret, Legem Moysi æternam in Scripturis sæpe dici; cui ut nihil addi, ita nihil ex ea detrahi possit: Deuteronomii Cap. 4. v. 2. *Non additis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego precipio vobis.* Adeo non erat Mosaica Lex ex integro abolenda.*

Non inquam observationes istæ anxios nos, ac sollicitos habent. Locus siquidem Malachiae, de utroque Christi adventu exponi commode potest: vel de primo, uti Matthæi Cap. 11. v. 14. & Lucæ Cap. 1. v. 17. exponitur: quo casu, quem admodum Eliæ nomine Joannes Baptista designatur: *Ipse est Elias, qui venturus est, (ante Jesum nostrum, ) ut convertat corda patrum in filios: ita Mosaica Legis observantia ad Joannem usque dicitur obligasse; quatenus scilicet, omnes Prophetae, & lex usque ad Joannem prophetaverunt, Ibidem v. 13. Secundum quem Malachiae Prophetæ sensum, tantum abest, ut Mosaica Legis perennitas colligi possit, ut potius ejusdem abolitio, & cessatio, Jesu nostro adoriente, colligatur. Vel de secundo Christi adventu Malachiae dictum accipitur, ut Matthæi 17. v. 11. ac sic quidem ad eum usque diem, Mosaica Legis memoria recolenda indicitur: *Memento Legis Moysi servi mei; non observantia mandatur: quæ duo Hebræi solent accurate distinguere. Aut si eo usque illius observantia mandatur; præceptorum dumtaxat moralium (quæ Legis etiam Evangelicæ communia sunt) observantia præcipitur; non cærimonialium, & judicialium, quæ Mosaica Legis propria sunt. Hanc Christus noster non solvit quidem, absolvit tamen: hanc adimplevit, sed adimplendo consummavit, figurata ejusdem præcepta ad exitum perducendo: eaque ratione illius nos jugo tandem absolvit. Ad Galatas 3. v. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est, maledictus homo, qui pendet in ligno.* Sicubi autem æterna Lex sacris in litteris dicta est, non utique ratione finis id nominis habuit: aut certe non ratione figuræ in ea contentæ, dicta est æterna; sed ratione figurati, & ratione antitypi. Nisi forte Legem æternam dicere malit aliquis, quoad præcepta moralia, tamen quoad præcepta cærimonialia temporalem. Quod porro in Deuteronomio latum est interdichum, ne quidquam verbo Dei addatur, aut detrahatur ex eo; privatos quidem Judæos, ac totam etiam Synagogam adstringit; non Deum ipsum, qui sublata Lege Mosaica Evangelicam subrogavit: maxime cum nec sic quidem verbum, quod Moysi locutus fuerat, re ipsa resciderit, sed impleverit; figuræque præceptis cærimonialibus expressas, allata demum veritate compleverit, consummarit.**

Urgent tamen propositi tenaces & instituti: Judæi non pauci, per Mosaicæ legis observantiam, justitiam sunt adepti, vitamque æternam consecuti: quid ergo legem illam abrogari necesse fuit, novamque induci, cujus cultu & observantia, salutem æternam fideles assequerentur? Quibus ex adverso reponit Apostolus, legem veterem, se ipsa quidem, ac præcio spiritu gratiæ; *Neminem justificasse . . . . nihil ad perfectum adduxisse . . . . moris ac damnationis ministratorem fuisse . . . . occidisse . . . . iram esse operatam . . . . virtutem fuisse peccati . . . . ac demum, propter infirmitatem & inutilitatem, a Deo reprobata esse: Ad Galatas 3. & 5. ad Hebræos 7. II. ad Corinth. 3. & 15. ad Rom. 4. & 8. Non itaque Judæos illos, ipsa per se se Mosaicæ Legis observantia iustos fecit, sed spiritus novi fœderis, quo in antecessum imbuti, legem veterem observabant: spiritus inquam fidei, spei, & Charitatis, quo in Christum novi fœderis conditorem respiciebant: forinsecus quidem Judæi, si ritus ipsos, ab iis tunc observatos species; intus vero animoque Christiani, si anticipatum gratiæ spiritum, quo in observandis ritibus ducebantur, attingerent. De quibus Doctor Angelicus 1. 2. quæst. 107. art. 1. ad 3. *Iusti, inquit, in veteri Testamento, Deo fuerunt accepti per fidem; & secundum hoc ad novum Testamentum pertinebant. Non enim justificabatur, nisi per fidem Christi, qui est auctor novi Testamenti. Unde & de Moysæ dicit Apostolus ad Hebræos 11. quod majores divitias assemebat, Thesaurum Ægyptiorum, improprium Christi. Et in responso ad 2. fuerunt aliqui in statu veteris Testamenti, habentes charitatem & gratiam Spiritus sancti, qui principaliter expectabant promissiones spirituales & æternas: & secundum hoc pertinebant ad legem novam. Quapropter veteri abrogata lege, uti per se se ad justificandum infirma atque inutili, novam revelari necesse fuit; quæ per spiritum charitatis & gratiæ, qui illi proprius est, impleverit, & ad vitam æternam recta perduceret.**

VIII. Nihilo feliciter arguantur Hebræi aliqui recentiores, ac veteres; qui, ut Circumcisionem potissimum Mosaicæ Legis ritum, perpetuo duraturam, ac nunquam rescindendam evincant, locum Genesis Cap. 17. v. 12. ambiciosius ostentant: ubi Deus Circumcisionis ritum Abrahamo præcipiens ita loquitur: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus, quam empius circumcidetur; eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Hinc Circumcisionis perennitatem avidè colligunt, quod ab ipso Deo æterna sit dicta.

Næ illi ignari, & imprudentes, qui domestica nesciant, quæ nos ab illis, non illos a nobis oportuit didicisse? Notat siquidem Rabbi Chimchi in libro Radicum, Vocabulum illud æternum, expressum Hebraica voce *Holam*, ( uti est in citato Genesis loco ) non semper significare durationem omni fine carentem, sed longum quoadque tempus; non semper stricti nominis æternitatem sonare, sed solam quoadque diurnitatem: ut Genesis 17. v. 8. de terra Chanaan dictum est, *dabo tibi, & semini tuo; terram peregrinationis tue; omnem terram Chanaan in possessionem æternam*: per verbum hebraicum *bolam*; quæ tamen jam diu a Judæis non obtinetur. Et Deuteronomii 15. v. 17. de servo, qui anno septimo egressi noluerit, dicitur, *assumes Jubulam, & perforabis aurem ejus in janua domus tue, & serviet tibi usque in æternum*; per vocem *bolam*: qui tamen recurrente anno Jubilæi, a servitute solutus erat, ut habetur in Levitico Cap. 25. v. 10. Ac tunc tantum vocem illam æternum, durationem omni fine carentem necessario significare, dum vocabulo *Nezac*, vel *Sela*, vel *Od*, in Hebrai-

Hebraico textu expressa est. Quod idem, missa eruditione Rabbinica, observat D. Augustinus, quæst. 13. in Genesim, & quæst. 42. in Exodum, Perperam itaque absolutam Circumcisionis perennitatem, ex laudato Testimonio Judæi colligunt.

Sic ita tamen, & absolutam perennitatem, seu durationem omni fine carentem, eo vocabulo significari concedamus: non advertunt imprudentes, duo longe diversa adnotari hoc loco, ac late distingui. Fœdus, scilicet, Dei cum Abrahamo initum, seu contractam cum illo amicitiam, & signum initi fœderis. Circumcisio Abrahamo præcepta, non est fœdus ipsum, sed est fœderis signum, uti verliculo superiori declaratur, *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me, & vos.* Damus ergo Judæis, utroque concedimus, fœdus Dei æternum esse, contractam Dei cum Abrahamo amicitiam æternam esse; quod unum Scriptura docet loco a Judæis toties decantato: *Erantque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*: at contracti fœderis signum æternum esse pernegamus: nullumque Scripturæ locum proferri posse contendimus, quo signum hoc æternum, ac perenne vocite-

Inquirit forte, signum fœderis æternum esse oportere, si fœdus æternum est. At id ex proprio cerebro dicent, non ex sacris litteris: tamque falsum est, quam quod maxime. Quis enim nesciat, amicitiam firmam, ac stabilem instabili plerumque fluxu, ac fugitivo signo firmari? Quis nesciat E. G. plerumque perire anulum, qui unicum apud Hebræos fœderis matrimonialis signum est; nec tamen idcirco Matrimonium rescindi, atque dissolvi? Satis quippe est, ad retinendam cujuscumque amicitie, ac fœderis firmitatem, si signum, quo primum sancita est, memoria recolatur, quamquam illud re ipsa deserit. Id & nos agimus in præsentia, qui licet exoletam Circumcisionem non usurpemus, toties tamen divini fœderis cum Abrahamo initi recordamur, quoties Circumcisionem sola mente recolimus.

IX. Sed reponent, ( idque mihi non semel a Judæis obiectum est ) fœdus Dei cum Abrahamo initum, cum ejus idcirco semine initum fuit: stat igitur etiam hodie cum Judaico populo Dei fœdus: quandoquidem secundum nos fœdus illud æternum erat. O cæcos homines! Fœdus cum Abrahamo initum, cum ejus quoque semine initum est! Ita certe: sed quo semine? Semine fideli, quod fidem Abrahamæ sectaretur: semine, quod staret in pacto, quod staret in fœdere; non quod pactum, fœdusque iniquitate sua rescinderet. Murra quippe fide pacta consistunt. Si ergo tanta fide pactis initis steterint Abrahamæ posterii, quanta fide stetit Abraham ipse, nihil dubitandum quin & perpetuo cum posteris perdurasset. At quam turpiter pactum intum Judæi violant, Prophete plus fati attestantur, ac lugent. *Psal. 77. v. 57. Averterunt se, & non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum præcurum.* Jeremias Cap. 11. v. 10. *Irritum fecerunt domus Israel, & domus Juda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum.* Osee Cap. 6. v. 7. *Sicut Adam transgressi sunt pactum: ibi prævaricati sunt in me.* Malachias Cap. 2. v. 8. *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum.* A divino itaque fœdere sua culpa, & iniquitate deciderunt. Sed volunt Abrahamæ semen, cum quo fœdus initum, perenniter stet? Hoc sumus nos, quotquot Christiano nomine gloriamur. Semen Abrahamæ sumus,

Serry Tom. III.

non carne, sed spiritu; semen ex fide, non ex femore; semen circumcisum mente, non corpore. Non enim, ut ait Apostolus ad Romanos Cap. 2. v. 28. *Qui in manifesto Judæus est; neque qui in manifesto est circumcisus: sed qui in abscondito Judæus est; & circumcisus cordis in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

## EXERCITATIO V.

De quarta prænniati Christi nota; Templo scilicet, ac Jerosolyma, nunquam instaurandis; deque Judaico populo minime colligendo.

I. Nihil in ore frequentius habent Judaicæ perfidia Doctores, atque magistri, quam Christum Prophetarum vaticiniis præannunciatum, Urbem Jerosolymam, ac ipsum maxime Salomonium Templum excitaturum, ut illic veteri ritu Judæi sacrificia offerant, & in terra Patrum suorum secundum carnem beate, ac feliciter vivant. Hac eca gregalium suorum spes crudas alunt; stolidæ plebi fortunata tempora, & soles candidos adpromittunt; standum animis admonent, donec excussa, qua premuntur ubique gentium misera servitute, bona pace, & avorum suorum hereditate perfruantur. Hinc & Jesum nostrum veri Messia partibus defuisse audacissime colligunt, quod nihil ejusmodi quidquam Judæi ejus ætate experti sint: minisque Servatoris officio fundum effusiunt, a cujus tempore Judæi extorres, & profugi ubique gentium vagantur, & errant, quos tamen a promisso sibi Servatore colligendos Prophetæ veteres præannunciant.

Quantum illos ea fallat opinio, ex parte hædenus demonstravimus; dum Leviticum Sacerdotium, Legemque Mosaicam a promisso Messia antiquandam, ac rescindendam probavimus. Hinc quippe nullam excitandi Salomonici Templi necessitatem superesse facile colligas. Verum, ne potissimum istud Judaicæ perfidia caput perfunditorie tantum attingisse videamur, id præsentis Exercitatione demonstrabimus: Omnem profus instaurandæ Jerosolymæ, & excitandi Salomonici Templi spem Judæis ademptam esse; frustraque illos Messiam alterum prætolari, qui istud miseræ, ac profugæ genti officium præstet.

II. Et certe, divino quodam numine factum est, ut post annos mille sexcentos, & quod excurrit, Salomonium Templum a Tito, & Vespasiano solo æquatam, nequaquam excitaretur; tamen Judæi molitionem attentarint sæpe numero. Verum-enim-vero Templi, & Urbis instauracionem quoties Judæi aggressi sunt, toties repressi, atque submoti captum opus intermiserunt. Primum quidem sub Hadriano Imperatore; tum sub Constantino tentantes opus, a militibus longe submoti, manum quantocius retraxerunt: postremo sub Juliano Apostata, qui Christianæ Religionis odio magnas Judæas & opes, & operas ad Templum excitandum impenderat, opus rursus aggressi, ingenti portento repressi conculcerunt: igne scilicet & fundamentis erumpente, & intemptivus conatus reprimente; ut Dei numen in molitores iratum experirentur univerfi. Non hic Christianos Scriptores facti testes advocabo, a quibus portentum hoc memoriæ commendatum est, tamen spectatissimos, ac fide dignissimos: Joannem Chrysostrum Serm. 2. in Judæos, & Homilia 4. in Matthæum, Gregorium Nazianzenum Orat. 4. Ambrosium Epist. 29. ad Theodosium, Theodoretum lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 20. Socratem pariter lib. 3. Cap. 20. Sozomenum lib. 5. Cap. 22. Cassiodorum Historiæ

C. tri-



tripartitæ lib. 6. Cap. 43. alioque non paucos, in quos Judæi fortassis exceptionem facerent, uti Christianorum partibus addictos. At testem dabo omni exceptione majorem, Ammianum Marcellinum, virum ethnicum, Christiani nominis profectum hostem, quem nobis ad Judæorum invdiam gratificari voluisse, nemo dixerit. Is ergo lib. 23. *Rerum gestarum*, de Juliano Apostata ita scribit: Imperii sui memoriam magnitudine Operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Jerusalem Templum, quod post multa, & internecina certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tiro egre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis; negotiumque maturandum Agypto dederat Antiocheni, qui olim Britannias curaverat pro Priesbetis. Cum itaque rei idem fortiter instaret Agyptus, juraretque Provincie Rector, metuendi gloriæ flammam prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum: hocque modo elemento desinatius repellente, cessavit inceptum. Hæc scriptor ethnicus, Christianorum adversus Judæos causam agens.

Neque minus divino numine factum æstimare par est, ut in ejus tandem Principis potestatem cederet Jerusalem, magni quondam nominis umbra, qui Christiano nomini præ cæteris infensus est: ne forte fatalis urbis instauracionem Christianorum artibus impeditam Judæi dicant: sed ultimum Dei manum in se concitatum experiantur. Neque enim, ne instaretur, oblitimus nos, aut repugnamus, qui nihil in eo terræ tractu potestatis obtinemus. Obstat nominis nostri profectus hostis Turcarum Imperator, nullo certe impediendi nobis officii studio motus, sed cæcus divinæ ultionis administer. Imo obstat secreto, atque occulto judicio Deus ipse, qui pro ea, quam habet in flectendis, movendisque hominum cordibus mirabili, atque ineffabili potestate, Judæos ipsos ab eo instaurandæ Jerusalemæ audaci consilio tandem aliquando procul avertit. Neque enim a multis sæculis opus faciendum susceperunt Judæi, aut etiam attentarunt.

III. Jam vero quam inaniter, adventante Messia, tentandum instauracionis opus ariolentur cæci homines, iis manifestum fore arbitror, qui sacra Prophetarum oracula vel obiter læstilarint. Omnem enim, & instaurandæ Jerusalemæ, & instaurandi Templi spem mortalibus adimunt. Isaia: Cap. 25. v. 2. *Posuisti Civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum; ut non sit civitas, & in sempiternum non edificetur.* Jeremia: Cap. 19. v. 11. *Hæc dicit Dominus exercituum, sic conteram populum istum, & Civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari.* Amos Cap. 5. v. 1. *Audite verbum istud, quod levo super vos planctum: Domus Israel cecidit, & non adiciet, ut resurgat; Virgo Israel projecta est in terram, & non est qui suscitet eam.* Danielis Cap. 9. v. 26. *Et Civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in medio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium. Et erit in Templo abominatio desolationis; & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.* Unde est ergo fatua illa Templi Salomonici tandem aliquando per Messiam instaurandi spes, stolidæ Judæorum plebi a Magistris suis, atque Doctoribus tam liberaliter facta? Sicine simplicium credulitati illudendum, ut id demum instauratum iri jactitetur, quod in sempiternum non edificandum vaticinatus est Isaia: non ultra instaurandum Jeremias: non erigendum, nec suscitandum Amosus: perpetua demum, atque

ad finem usque duratura desolacione dissipandum Daniel prænuñciavit?

Accedit Osæ locupletissimum vaticinium Cap. 3. v. 4. nam miserum Judæorum statum, quo sine Rege, sine Templo, sine Sacerdote, sine laribus futura est perdis gens, ad extremum usque mundi diem duraturum vaticinatur: quo demum tempore Christum agnoscent Judæi, sed sero nimis. *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & Theraphin: (hoc est sine Pontifice, & sine Propheta:.) Et post hæc revertentur filii Israel, & querent Dominum Deum suum: & parvæbunt ad Dominum, & ad bonum ejus, in novissimo dierum.* Nulla ergo instaurandi Templi spes illis affulget, si ad novissimum usque diem sine Sacrificio, sine Altari, sine Pontifice mansuri sunt.

IV. Sed videamus nunc tandem, quid illorum spes potissimum excitavit, ut stultam adeo fabulam venditarent. Amos Prophetae luduntur oraculo perperam intellego, Cap. 9. v. 11. ubi Deum ita loquentem inducit: *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: & reedificabo illud, sicut in diebus antiquis.* Et post pauca, v. 14. *Convertam captivitatem populi mei Israel: & edificabunt Civitates desertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum, & facient hortos, & comedent fructus eorum. Et plantabo eos super humum suam, & non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus.* Luduntur & aliis longe pluribus, quæ Judæos quaquaversum dispersos, & profugos in pristinum statum, & locum a Christo venturo restituendos vaticinantur. Isaia: Cap. 11. v. 12. *Levabit Dominus signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Juda colliget a quatuor plagis terre.* Jeremia: Cap. 29. v. 14. *Reducam captivitatem vestram, & congregabo vos de universis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expulsi vos, dicit Dominus, & reverti vos faciam de loco, ad quem transmigrae vos feci.* Cap. 30. v. 3. *Convertam conversionem populi mei Israel, & Juda, ait Dominus, & convertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum, & possidebunt eam.* Cap. 32. v. 37. *Ecce ego congregabo eos de universis terris, ad quæ eieci eos in furore meo, & in indignatione grandi; & reducam eos ad locum istum, & habitare eos faciam confidenter.* Ezechielis Cap. 74. v. 12. *sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus disperse fuerunt in die nubis, & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israel, in rivis, & in cunctis sedibus terre. In pasuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelis Israel erunt pascuca earum.*

Magna fateor, & larga promissa, quæ carnalium Judæorum oculos itam feriant; animosque ad temporalia dumtaxat bona inhiantes rapiant, atque devinciant! Quæ tamen magna ex parte non nisi figurato sensu accipi possunt; ut ad spirituales Judæorum liberationem per fidem, necnon ad mysticam Jerusalemorum instauracionem, Ecclesiam scilicet, a Christo instituentem, conficiendamque referantur. Quod ni fiat, in sexcenta absurda impingitur: quorum duo hic leviter notare satis erit, in uno Amos vaticinio, quod Judæi præ cæteris fucum faciunt: Tabernaculum scilicet Domini reedificandum ominatur Amosus sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos, v. 12. Quis autem dicat, Zoro-

Zorobabelis ætate, ac etiam secutus in temporibus, Nationes omnes Judæorum imperio fuisse subditas: cum ii potius exterarum deinceps Nationum dominatum, ac etiam tyrannidem passim sint? Addit idem Amosus v. 15. *Plantabo eos super humum suam, & non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.* Cum tamen perspectum sit, totam Judaicam gentem suis subinde sedibus fuisse depulsam, dissipatam, perpetuoque exilio ad hæc usque tempora damnatam. Non itaque ad temporalem Jerusalemorum instauracionem, sed ad spirituales Judæorum liberationem per fidem, Ecclesiamque institutionem referenda illa sunt; uti in Actibus Apostolicis Cap. 15. v. 14. referuntur. Interea tamen quæ de materiali, ut ajunt, Jerusalemorum instauracione, deque temporali Judæorum liberatione, & in pristinum locum restitutione promittuntur, tot illis productis oraculis, stolidæ profusus expectantur etiamnum, quæ dudum destinatum exitum habuerunt: soluta nimirum sub Cyro Persarum Rege Captivitate Babylonica, instaurato secundis curis Salomonico Templo, Judaico populo in Judæam reducto, atque in integrum restituto, annis ante Christum nostrum amplius quingentis, lib. 2. Paralipomenon Cap. 36. Esdræ 1. Cap. 1. Cum enim durante Captivitate Babylonica Propheticum munus obiret Amos, Jeremias, Ezechiel; ad illam primam instauracionem, quæ soluta post annos septuaginta Captivitate facta est, oculos intendebant; ut Judæorum captivorum animos erigerent, data illis spe bonæ futuræ prope diem liberationis, & Templi quantocius excitandi. Id ut dicamus, gemina ratio cogit: prima, quod instaurandi Templi facultatem a Cyro Persarum Rege datam, notet Esdras, ut completeret verbum Domini ex ore Jeremiae. Secunda, quia si de altera Jerusalemorum instauracione, qualis nunc ab Hebræis expectatur, post secundam cladem a Tito, & Vespasiano illatam, Prophetas illos locutos diceremus, palam sibi, aperteque repugnarent; quippe qui, & Jerusalemam, & Templum nunquam deinceps instaurandum, locis paulo ante laudatis apertissime contestantur.

V. Reponunt nihilofesse Judæi, modicam, tenevique admodum fuisse eam Jerusalemorum instauracionem, quæ sub Cyro post primam evercionem tentata est: cum tamen futurum prænuñciaverit Jeremias Cap. 31. v. 38., & Zacharias Cap. 14. v. 10. ut instaurata Jerusalem finitima circumquaque loca, colles, ac valles occuparet: atque hinc colligunt, Messiam expectandum esse, qui secunda instauracione facta, tantam Urbis amplitudinem tribuat, quantam Prophetæ laudati promiserunt. Addunt, & hoc quoque Jeremiam spondisse, fore ut instaurata Civitas, non evellatur, & non destruat ultra in perpetuum; Et Zachariam Cap. 14. v. 11. perinde scripsisse, *Anathema non erit amplius, sed sedebit Jerusalem secura:* Cum tamen post factam primam illam sub Cyro instauracionem, sub Tito deinde, ac Vespasiano deleta sit. Ut ergo (subiungunt) sua iis Oraculis veritas constet, nova cumulatissimaque instauracio expectanda est, ultra quam nullus deinceps evercionis, ac vastationis metus esse possit: placideque ad Dominum suum Judæi exules revertantur.

Sed in eo quoque deluduntur: nec satis intelligunt, Prophetas pro more suo a typo, seu figura ad veritatem gressum facere; ab instauracione temporali Jerusalemorum, quæ sub Cyro peracta est post primam evercionem, ad spirituales Ecclesiam institutionem; ut carnales Judæorum animos a temporalibus bonis ad spiritualia

erigerent. Quæ ergo de instaurata tunc primam Jerusalemæ amplitudine, ornatuque perennitate sacris in litteris annotantur; hæc de Ecclesiam institutione, de mystica, & spirituali instauracione, intelligenda omnino veniunt. Ne porro Judæi mortiferæ litteræ tenacius hærentes nobis obtrudant, Christianorum effugium istud esse, ac pro arbitrio confictum, ut objectam illorum difficultatem declinare, non potius, quam solvamus; hujuscæ dati responsi rationes profusus invidias subjicimus, quæ Judaicarum interpretacionum vanitatem in propatulo ponant; idque totum de spirituali instauracione accipiendum evincant.

Ratio prima hæc est: quod non absimilem instauracionem, liberationem, redintegrationem Sodomitis, & Samaritanis adpromittit Deus, ac laudatis ante Oraculis Judæis dicitur spondisse. Ezechielis Cap. 16. v. 55. *Soror tua Sodoma, & filie ejus revertentur ad antiquitatem suam; & Samaria & filie ejus revertentur ad antiquitatem suam; & tu, & filie tue revertentur ad antiquitatem vestram:* hoc est, ad antiquam sedem, opes, & gloriam. At Samariam, Sodomam, vicinasque urbes igne succensas nupquam temporaliter restituentas Judæi consentiunt: spiritualis igitur dumtaxat eis promittitur instauracio. Parem Moabiticis, ac Judæis ipsis liberationem promittit Jeremias Cap. 48. v. 47. *Convertam captivitatem Moab in novissimis diebus, ait Dominus.* Parem & Ammonitis spondit Cap. 49. v. 6. *Et post hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon, ait Dominus.* Cum tamen Ammonitis & Moabiticis, sub Cyro licet e Babilone revertis ad tempus, nunquam modo ad pristinum statum & gloriam redituros esse, Judæi certo contendunt, juxta Sophoniam oraculum cap. 2. v. 9. *Viro ego dicit Dominus exercituum, Deus Israel, quia Moab ut Sodoma erit; & filii Ammon sicut Gomorha, siccitas spinarum, & acerui salis, & desertum usque in æternum.* Quæ ergo illis promittitur liberatio, spiritualis est, puta conversio ad Deum per Christum. Quidni ergo pari jure laudatis Prophetarum vaticiniis, spirituales Israelis, ac Jerusalemorum instauracionem intelligamus, Ecclesiam scilicet institutionem?

Ratio altera hæc est: quod Dei domum, & Jerusalemam instaurandam in eum modum, ac formam Prophetæ vaticinentur, quam ad litteram, & secundum verborum superficiem accipere, ineptissimum sit. Ecce ego, inquit Deus Isaia: 54. v. 11. *Sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphiris, & ponam jaspidem propugnacula tua.* Quæ quis extra figuram dicta putet? Et erit inquit Isaia: Cap. 2. v. 2. *preparatur mons Domini in vertice montium, & elevabitur super colles:* Quæ quis secundum nativum verborum sensum accipiendi sibi fingat? Et erit, subjungit idem Isaia: Cap. 66. v. 23. *mensis ex mense, sabbatum ex sabbato, venit omnis caro, ut adoret coram facie mea in Jerusalem.* Qua vero forte fieri posset, ut toto Orbe diffuse gentes, quovis mense, imo & quovis sabbato Jerusalemam tandem instauratam adirent, verum illic Deum adoraturæ? Addit Zacharias Cap. 44. v. 16. 18. 19. convolaturas illuc gentes omnes ad celebrandam festivitatem Tabernaculorum: Rem utique, si nudam litteram spectes, penitus impossibilem. Sed & Isaia: toties jam appellatus, instauratæ semel Jerusalemæ, populique ad pristinas sedes reducis beata tempora describens; ea de vallibus, ac montibus, de diebus, ac noctibus, de brutis demum animalibus narrat, quæ si quis stricto sensu, ac citra allegoriam velit accipere, omnium cachiinis, ac fibilibus excipietur. Cap. 40. v. 4. *Omnis vallis exaltabitur, omnis mons, & collis humiliabitur; &*



erunt parva in directis, & aspera in vias planas. Cap. 24. v. 23. Erubescet Luna, & confundetur Sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, & in Jerusalem. Cap. 30. v. 26. Et erit lux Luna, sicut lux Solis, & lux Solis septemplex, sicut lux septem dierum in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagae ejus sanaverit. Cap. 31. v. 6. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hodo accubabit; vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus, & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocent, & non occident in universo monte sancto meo. Hec itaque spirituali, & allegorico sensu citra dubium intellecta, non nisi ad spirituale Jerosolymorum, & Judaice gentis instaurationem, liberationem, salutem, ac pacem referuntur.

Tertia demum ratio, quae Judaeis jugulum petit, ista est: quod sua laudatis paulo ante Jeremie, & Zacharie oraculis veritas minime constaret, si de temporali Jerosolymae instauratione locuti dicantur. Hanc enim, ut primum instauratione fuerit sub Cyro Persarum Rege, non evellendam ultra, nec destruendam; nec futuram deinceps athena; sed summa securitate potituram affirmant. Quod certe, si de temporali securitate, atque perennitate dictum velint, quis non videat esse falsissimum? Cum toties subinde a Romanis oppugnata, capta tandem, incensa, deletaque sit. De mystica itaque Jerosolymorum instauratione, deque spirituali Judaeorum restitutione locutus Propheta oportet; dum futurum sub Cyro Persarum Rege restitutionis, atque instaurationis adjuncta, ac circumstantias praenunciaverunt: ut a typis (quod Prophetis familiare est) ad antitypa gressum facerent; a Templo scilicet Salomonico sub Cyro Christo Domini temporaliter instauratione, ad Spirituale Templum (Ecclesiam intellige) a Christo Jesu excitandum, extruendum, & consecrandum.

VI. Hinc depulsam arbitror alteram Judaeorum hallucinationem, qua terram Chanaan, Abrahamo, & femini ejus a Deo datam gloriantur, in possessionem aeternam, Genesis Cap. 17. v. 8. Unde colligere sibi putant, Terram hanc adveniente Messia sibi fore retinendam, ut illam aeternum possideant, juxta Isaiae vaticinium Cap. 60. v. 21. Populus autem tuus omnes justi in perpetuum hereditabunt Terram, germen plantationis meae, opus manus meae ad glorificandum. Et Ezechielis Cap. 37. v. 25. Et habitabunt super Terram, quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt patres vestri. Et habitabunt super eam ipsi, & filii eorum, & filii filiorum eorum, usque in sempiternum. Et David servus meus princeps eorum in perpetuum &c. Ut enim omittam hic, quod in superiori exercitatione, Hebraeorum Magistorum auctoritate probatum est; iis loquendi formulis, in aeternum, in perpetuum, in sempiternum, non semper durationem omnium sine carentem intelligi, sed prolixum quandoque tempus significari dumtaxat; quis queso vel mediocriter sapiens, prima fronte non videat, isthaec per allegoriam dicta esse, & terrae Chanaeae symbolum, caelestem felicitatem adumbrari in perpetuas aeternitates a veris Abraham filiiis possidendam? Nam si res secundum carnem, & juxta litterae corticem pensare Judaei velint; dicant, qua ratione fieri posset, ut Abraham semen, quod toto terrarum Orbe diffundendum promiserat Deus, Genesis 12. v. 16. unico Chanaeae sinu contineri posset? Dicant, qua forte, Terra Chanaan aeternum possidenda esset, quam ab annis mille sexcentis, & eo amplius minime possident? Dicant, qua di-

gna mercede fidem Abraham Deo optimus compensasset, si unicum illi, ejusque femini terrae angulum in premium concessisset? Mentem ergo erigere necesse est, ne & Abraham fidei, & Dei liberalitati injuriam irrogetur. Quare Chanaanem a posteris Abraham re ipsa, ac longo annorum tractu possessam olim, ultra concedimus: at infinitam illam possessionis perennitatem, ad Caelestem patriam, cujus haec symbolum erat, referendam judicamus. Alias sua Dei oraculo veritas constare non potest.

VII. At erit forte qui dicat, Jesum nostrum nec sic quidem veri Messiae officio functum esse; qui Judaeos toto Orbe dispersos, ac profugos, ne spiritaliter quidem collegit, nec in unius Ecclesiae societatem adduxit: quod tamen, fatentibus nobis, verus Messias sacris oraculis praenunciatus facturus erat. Imo, inquit ego, Judaeos in unius Ecclesiae finem collegit Jesus noster, quotquot colligendos Prophetae veteres praenunciaverunt; veros Abraham filios: filios, inquam, non carne, sed spiritu; filios non ex femore, sed ex fide; filios non corpore circumcisos, sed mente: Non enim omnes, qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitae: neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii, inquit Apostolus ad Romanos 9. v. 7. Quin & id observatio longe dignissimum est, Judaice gentis partem plurimam Christo Domino adhaesisse, ac consensisse, partem alteram repugnasse; ut Prophetarum oracula omni ex parte implerentur. Cum etenim Prophetae, Judaeorum alios Messiae confensuros, alios repugnatos praenunciarent; vocandos alios, alios resiciendos: minus prophetae veritatis consultum esset, si vel omnes, excepto nemine, Christo Domino consensissent; vel omnes, dempto nemine, repugnassent. Duplicem igitur Israel fecerere necesse est: spirituale unum, carnalem alterum: fidelem illum, infidelem istum; hunc verum Abraham filium, istum spurium, ac degenerem: hunc promissis benedictionibus cumulatum in Christo Jesu, cui credidit; illum reprobatum a Jesu, quem tradidit: hunc in Ecclesiae Catholicae unitatem, fidei professione susceptum; istum in effusi sanguinis poenam toto orbe profugum, & extorem. Sic sane Scripturas nullo negotio conciliamus; donec ad saeculi finem, ac in secundo Christi adventu, infelices illae Israelitae Reliquiae convertantur: reliquiae (inquam) Jacob, ad Deum fortem: ut est apud Isaia Cap. 10. v. 21.

## EXERCITATIO VI.

De quinta praenunciata Christi nota; Nempae, fore illum virum humilem, atque pacificum, non manu fortem, ac bellatorem.

I.

Succedit ordine quinta praenunciata Messiae nota, quae uti carnalium Judaeorum genio magis aridet, ita & ab iis majori animorum contentione defenditur. Horum una vox est, una sententia, Messiam Prophetarum oraculis praenunciatum, virum manu fortem, ac bellatorem futurum, qui & ingentes ducat exercitus, & iis cum summo imperio praesit. Cum enim in unam, qua toto Orbe premuntur, temporalem servitute oculos intendant; eum tandem oriturum sibi liberatorem opinantur, qui miseram gentem armata manu, ac stricto gladio vindicet; densaque gentibus exteris strage illata, optatam diu suis libertatem restituat. Ea spe bona lactantur miseri, ventura felicitatem adumbrant; futurumque tandem existimant, ut hoc suo Messia duce, ac vindice, quem sibi ad arbitrium effingunt, Nationum, quibus hodie serviliter parent, sanguine faginatur.

Lu-

Ludam operam, si quotquot in hanc rem Scripturarum oracula congruerint ceteri homines, velim hic minutatim, atque distincte recensere. Selectiora breviter dabo, quibus figmentum istud nitentur adstruere. Numerorum Cap. 24. v. 17. ubi Christi adventum quam distissime praenunciatur: Orietur stella ex Jacob, & surget virga de Israel, & percurret duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumaea possessio ejus: hereditas Sair cedet inimicis suis: Israel vero fortiter ager. De Jacob erit qui dominetur, & perdat reliquias Civitatis. Psalmo 109. v. 6. Dominus a dextris tuis confregit in die ire suae Reges. Judicabit in Nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum. Isaie Cap. 42. v. 13. Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir praetor suscitabit zelum: vociferabitur, & clamabit: super inimicos suos confortabitur. Jeremie Cap. 12. v. 12. Gladius Domini devorabit ab extremo terra, usque ad extremum ejus. Joelis Cap. 2. v. 11. Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortis, & scientia verbum ejus. Habacuch Cap. 3. v. 12. Tu fremisti conculebis terram, in furore obstupescies: egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tua. Zacharie Cap. 9. v. 13. Extendi mihi Judam quasi arcum, implevi Ephraim, & suscitabo filios tuos Sion, Graecia; & ponam te quasi gladium fortium. Et alia id genus multa, quae passim in Prophetis occurrunt: unde Messiae bellatoris, Copiarumque ductoris effingendi anam Judaei recentiores, ac veteres arripuerunt.

Sed neque unico isto actu Messiae bellicosi fabula luditur. Addunt liberales negotiarum venditores, Messiam post confecta bella, eam orbi pacem temporalem allaturum, quae nullo deinceps bello, nulla inter se gentium diffensione turbetur. Ita quippe colligere sibi videntur ex variis Prophetarum oraculis. Psalmo 45. v. 9. Venite, & videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terrae: arcum conteret, & confringet arma, & sicuta comburet igni. Psalmo 75. v. 1. Notus in Judea Deus, in Israel magnum nomen ejus, & factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, & gladium, & bellum. Isaie Cap. 2. v. 4. Confringentur gladii sui in vomeres, & lanceas suas in falces: non serabit gens contra gentem gladium, nec exercibuntur ultra in praelium. Michae Cap. 4. v. 3. Judicabit Dominus inter populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquum, & concidens gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentem gladium, & non discent ultra belligerare. Et sedebit vir subitus vitem suam, & subrus ficum suam, & non erit qui detereat, quia os Domini locutum est. Aliaque non ab familia Prophetarum oracula, quae distinctius, & accuratius recensere, longum esset.

Quid plura? Talem orbi pacem a Christo bellatore, ac domitore datum iri fabulantur, quae bruta etiam animantia inter sese conciliet, societate mutuo; quaeque ingenitam illis feritatem adimat, ne ultra deinceps hominibus noceant. Ut plane quod in effingenda aurea Saturni aetate a Poetis ingeniose confidum est, totum id in effingendo Messiae saeculo somniasse Judaeorum aliqui viderant. Nec desunt, quae in hujus commentum ostentent Prophetarum vaticinia: Isaie Cap. 11. v. 6. habitabit lupus cum agno, & pardus cum hodo accubabit: vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus, & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in

caverna reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Non nocent, & non occident animalia in universo monte sancto meo. Quae totidem ferme verbis inculcantur Cap. 65. v. 25. Lupus, & agnus pascentur simul, leo, & bos comedent paleas, & serpenti pulvis panis erit: non nocent, nec occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus. Ezechielis Cap. 34. v. 25. Faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra, & qui habitant in deserto, securi dormient in salibus. v. 28. Et non erunt ultra in rapinam in gentibus: neque bestia terrae devorabit eos: sed habitabunt confidenter absque ullo timore. Osee Cap. 2. v. 18. Percutiam cum eis foedus in die illa, cum bestia agri, & cum volucre Cali, & cum reptili terra, & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.

Quid autem, positis illis Judaice perfidiae fundamentis, adversus Jesum nostrum consequatur, in aperto est: Illum nempe & nobis perperam uti Messiam agnosci, & colli; quem nec virum bellatorem, nec manu fortem extitisse, satis scimus; nec ulla nobis hujusce promissae pacis, aureaeque aetatis paulo ante narratae beneficia contulisse profitemur.

Ut ergo pro more nostro, & instituto, inanes illas Judaeorum argutias retundamus, duo haec demonstrare nobis est opus: Primum, Messiam illum bellatorem, tot illis vaticiniis praenunciatum, non temporalia, non carnalia bella gesturum fuisse, ut Judaei sibi inaniter blandiantur; sed spiritualia, quibus anime hostes, & vitia pellerent. Alterum, pacem a Messia bellicosa hominibus redondandam, spiritus esse, non carnis; anime, non corporis; piam mentis, & fidei securitatem, non externam variarum gentium in servandis finibus consensionem. Sic certe Judaeos oculos Scripturarum interpretes ostendunt, & Jesum nostrum verum Messiam, iis ipsis principis demonstrabimus, quibus illi pertinaciter negant.

II. Ut itaque promissum bellatorem, bellaque ab ipso gerenda certissime dignoscamus; arma ipsa, quibus usus est, observare sat erit. Ex armorum quippe genere, belli quoque generis sine controversia definiemus. Hec porro nobis indigitat Isaia, cujus suffragio turpiter abutuntur, Cap. 11. v. 4. Percurret terram virga oris sui, & spiritu laborum suorum insensiet impium: et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus. Bellum igitur spirituale gesturus erat bellator ille, spiritualia dumtaxat arma tractaturus, verba scilicet, spiritum, justitiam, & fidem. Quae totidem a fidelibus illius Discipulis tractanda monet Paulus Apostolus, ad Ephesios Cap. 6. v. 13. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loriceam justitiae, et calcatei pedes in preparatione Evangelii pacis; in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: et galeam salutis assumite, quae est verbum Dei: Quibus in verbis, Christi Apostolum Prophetae mirum in modum consentientem habemus, ut unius interpretationem ex alio colligamus.

Idem belli genus, spirituale scilicet, nil minus egregie, & luculenter ostendit Isaia idem, Cap. 8. v. 3. ubi de Christo bellicoso, in ipsa quoque pueritia bella gerente, sic habet: Et dixit Dominus ad me, voca nomen ejus, accelera, spolia detrahens, festina praedari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariae coram Rege Assyriorum. Jam ergo vagitu ad arma vocaturus erat bel-



bellator infantulus: signa belli, non tuba, sed crepitaculo daturus: nec ex equo, vel de curru, vel de muro, sed de Nutricis aut gerule sue collo hostem aggressurus: atque ita Damascus, & Samaritanorum pro mamillis subacturus. Quidni ergo figuratam hic locutionem, & spirituale bellum adumbratum intelligamus; quo nimirum prematura professione virtutis, internos animi hostes, Damasci, & Samaritanorum symbolo designatos, adhuc puer superaret? Sed hæc est Judæorum improba cecitas, ut non alios hominis hostes putent, præter Ægyptios, Assyrios, Babylonios, aliosque id genus antiquos sue gentis domitores: nec alia idcirco bella, ab eo, quem præstolantur, liberatore gerenda norint, nisi que temporalem illis libertatem, ac pacem attulerint. Vah cæcæ mentes! Verus hominis hostis peccatum est, quo uno leditur anima, & servituti addicitur. Legant sue gentis Annales, nusquam Judæos servituti addictos invenient, nisi ob idololatriam, aut scelus aliquod ingens. Ita Ægyptiis, Moabitibus, Ammonitis, Philistæis, Madianitis, Assiriis, Babylonis, Persis, Medis, Græcis, Romanis per varia temporum intervalla, ob admissa identidem scelera fervierunt. Ut hinc noverint, peccata veri nominis hostes esse, unde prima tot servitutum, totque malorum origo nata est: Ægyptios vero, Moabitas, Philistæos, aliosque id genus populos, non tam hostes, quam Dei vindicis admittitros. Is ergo verus Messias, verus Liberator habendus erit, qui vitium, non qui gentibus bellum indixerit; qui spiritualia, non qui carnalia arma trahat; qui mentis, non qui corporis libertatem attulerit. Hinc frequentes illæ Prophetarum voces: *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferet Deus alienos de medio vestri, Baalim, et Astaroth, et preparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et liberabit vos de manu Philistinum.* Lib. 1. Reg. Cap. 8. v. 3.

Sed nihil eque Judaicam hoc in capite vanitatem exufflat, quam decretorium Sapientis oraculum, Sapientia Cap. 5. v. 17. ubi venturi Liberatores bellicum apparatus describens, hostesque ab eo contereundos adumbrans, nil nisi spirituale bellum ab eo gerendum infinnat. *Dextera sua reget eos, et brachio Sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea iudicium certum: Sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem dextram iram in lanceam, et pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. En tibi promissi Bellatoris armaturam; justitiam, iudicium, æquitatem, ac zelum: que illi instar thoracis, & galeæ, instar scuti, & lanceæ futura erant. Qua plane collinear Osee dictum Cap. 1. v. 7. *Domus Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo. Et non salvabo eos in arcu, et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus.* Næ ergo Judæi mente, & sensu capti, qui sue gentis Liberatorem, Alexandri, ac Cæsaris apparatu proditura ariolantur: mortiferamque secuti litteram, nil nisi que carnis sunt sapient? Hunc longe alium nobis effingit Isaias Cap. 42. v. 1. ut mitem potius, humilem, pacificum dignoscamus. *Ece, inquit, servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi Spiritum meum super eum; iudicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, et linum sumigans non extinguet. In veritate educet iudicium: non erit tristis, neque turbulenti, donec ponat in terra iudicium, et Legem ejus insule expectabunt.**

III. Nunc autem pacem a Messia domitore, ac bellatore hominibus redonandam, spiritus esse,

non carnis; (quod alterum presentis instituti caput est) ex hoc primo sponte sua fluere, nemo non videt. Ut enim belli fructus pax est, spirituales ab eo pacem donari necessum erit, qui non nisi spiritualia bella gesserit, & spiritualia arma tractarit. Patet id nihilominus adhuc luculentius, & apertius ex Aggei oraculo, Cap. 2. v. 8. ubi de Templo Salomonis, post solutam Captivitatem Babylonicam restituto, sub Cyro Persarum Rege, sermonem habens, loquitur in hæc verba: *Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissime plusquam prime, dicit Dominus exercituum. Et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Queram etenim a Judæis, non forte pax temporalis Templo huic a Zorobabele restituto data fuerit, quod creberrimis bellis appetitum est ab Antiocho, Pompejo, Cajo, ac tandem post horrendas calamitates funditus a Romanis excisum est? Negabunt profecto, si sapiunt, temporali pace donatum esse Templum illud: spirituales itaque pacem huic dumtaxat promissam fuisse, fateantur necesse est. Quam scilicet Jesus noster eo in Templo oblatus Æterno Patri hominibus quesivit sanguine suo, placato Deo, & hominibus reconciliato, sedatisque conscientie moribus, qui teterrimum peccatoribus bellum inferunt.

IV. Quod ergo Isaiæ 2. de Messie temporibus legitimus, unde Judæi præsidium petunt: *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prelium.* Ubi & alterum Michæ 4. a Judæis proferri solitum, figurate loquendi formule sunt, a Prophetis usurpari solite, spirituales animæ pacem iis symbolis designantes. Nempe deponendam significavit avaritiam, superbiam, cupiditatem, aliosque pravorum animi motus, unde iniusta bella nascuntur. Qualia ex dominandi libidine Nabucodonosor, Antiochus, Assirii, Chaldei, Persæ, Græci, Romani nondum nato Christo moverunt. Non quod sub Messie imperio iniusta etiam bella esse non possint: quot enim experimur in dies? Sed quod istiusmodi nulla a veris, piisque Christi fidelibus exciretur; ad quos memoratæ Isaiæ, & Michæ promissiones diriguntur. Ut enim bella hæc Christi Lege vetantur, ita qui ex dominandi cupiditate, atque libidine bella movent, non Christiani moribus sunt, sed Pagani.

V. Se vero longe magis deridendos propinant recentiores Hebræi, qui pacis temporalis, aureæque, quam fabulantur, gratias sub Messie imperio redituræ vestigia, in brutis etiam animantibus querunt, Osee, Isaiæ, & Ezechielis oraculis abusi turpiter. Quasi vero adveniente Messia, ferocia animalia mitribus fociari deberent, eodem pacis pabulo, eademque caula concludi. Hæc sane usque adeo inepta sunt, ut nequidem in cucurbitæ caput ventura existimaverim; nisi hæc ipsa a Synagoga primoribus jaclari, propriis ipse auribus audivissem. Has tamen gregalium suorum ineptias derident, qui aliquanto plus sapient, Synagoge Magistri: Rabbi Samuel, Rabbi David Kimchi, Rabbi Moyses Benaimon. Equis enim non videat, lupum, pardum, ursum, leonem, feracque id genus animantia, uti impiarum gentium simulacra a Prophetis assumi; agnum vero, hædum, vitulum, mansuetas pecudes, fideles Israelitarum adumbrare; quorum summa erit inter gentes pax, atque tranquillitas animi, ubi semel in unius Ecclesiæ societatem coalescent? Barbaras enim gentes brutorum animalium simulacra adumbrari, testis est Propheta Joel Cap. 1. v. 4. Ubi Judææ vastationem a Babylonis, Persis, Græcis, Ro-

Romanis inferendam prænuicians, erucæ, locustæ, bruchi, & rubiginis symbola mutatur: *Residuum, inquit, erucæ comedit locustæ, et residuum locustæ comedit rubigo:* hoc est, ut ipsimet Judæi nobiscum interpretantur, reliquias Imperii Babylonicæ vastavit Persarum imperium, reliquias Perfidis vastavit Græcia, reliquias Græciæ vastavit Roma. Testis & Daniel, qui oblatum sibi divinitus quatuor grandium bestiarum visum enarrat Cap. 7. eadem illa quatuor Regna designantium.

Certe si nihil in Prophetis oraculis exponendis allegoriæ damus, sed mortiferam secuti litteram, omnia hæc *residuum*, fumi volumus, ut auream Messia ætatem effingamus; non modo deponendam brutorum animantium feritatem effutiemus; sed etiam complanatum iri terræ sola fabulabimur; ut nulli tunc montes, nullæ valles existant: dicente scilicet Isaiæ Cap. 40. v. 4. *Omnis vallis exaltabitur, omnis mons, et collis humiliabitur, et erunt præva in directæ, et aspera in vias planas.* Quin etiam novo absurditatis, ac repugnantie genere, flumina plaudentia manibus, montes, sylvasque caprarum more saltantes fabulabimur; Regio scilicet Vate inclamata, Psal. 97. *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini, quia venit. . . Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini, quia venit.* Quæ certe, ut alibi observavimus, præterquam sunt absurdissima, pugnant insuper inter sese: cum & montes exultare a conspectu Domini, quod ait Regius Vates, impossibile sit; si nulli tunc montes, ut loquitur Isaias, futuri sunt, sed solo equandi.

Fateantur itaque, velint nolint, miseræ recuti, aureum illud promissi Messie sæculum, non nisi figurate, ac spiritualiter accipiendum esse; alias signenta sua jam pridem ebibita, novis usque turpioribus cumulabant; quibus sese non solum mente, sed & sensu captos magis ac magis exhibebunt.

## EXERCITATIO VII.

De sexta prænuiciati Christi nota; Moriturum scilicet illum morte turpissima, suaque Sanguine humanum genus expiaturum.

Quod Christum divinis oraculis prænuiciatum virum bellatorem, copiarumque duæorem Judæi commenti sint, parum illis visum erat, nisi eundem etiam immortalem effutirent. Ita se facies litteris edoctos ajunt, ubi tam sæpe venturi Messia perennitas, ejusque Regni æternitas commendatur. Psalmo 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech.* Psal. 71. v. 5. *Permanebit cum sole, et ante lunam, in generationem, et generationem.* Isaiæ 9. v. 7. *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in iudicio, et justitia amodo, et usque in sempiternum.* Ezechielis Cap. 37. v. 25. *David servus meus princeps eorum in æternum.* Danielis Cap. 7. v. 14. *Dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, Tribus, et lingue ipsi servient. Potestas ejus potestas æterna, que non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.* Michæe Cap. 4. v. 7. *Regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc, et usque in sæculum.* Et alibi scriptum.

Hinc validissimum adversus Jesum nostrum reatum eudæi arbitrantur; qui cum morte, & quidem turpissima sit affectus, Christus a sacris Vaticiniis prænuiciatus esse non possit. Neque vero commentum istud ab ille recens excogitatum æstimare par est: illo enim ipso Jesum quoque vi-

ventem, & cum hominibus conversantem imperierunt, teste Joanne Cap. 12. Evangelii v. 24. Cum enim is Christum sese Judæis daret, ac prædicaret, seque tamen Cruci suffigendum, & exaltandum inueneret, *Respondit ei turbæ, nos audivimus ex Lege, quia Christus manet in æternum, et quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis? Nempe jam tunc Christum a Lege promissum, nequaquam moriturum arbitrabantur. Quo fit, ut & fabulæ loco habeant delictorum nostrorum expiationem Christi Sanguine faciendam: tamen noxas hominum quodam sensu laturum Christum, illorum aliquid fateantur; quem idcirco virum expiationis appellant.*

Quare ut hoc etiam oppanum Judæorum oculis velum reducamus, ne eo forte præjudicio occupentur, quominus verum Christum agnoscant; duo hæc ostendenda veniunt: Primum, Christum divinis oraculis prænuiciatum, mortem, & quidem turpissimam subiturum fuisse; impiorum circumventionem, ac malis artibus: Alterum, eundem illum noxas hominum effuso sanguine expiaturum. Age nunc rem agamus, & ad postea assertionis probationes accedamus.

II. Messiam ab impiis morte præcedendum, adeo luculenter Prophetæ veteres præcinerunt, ut meridiana in luce cecutiisse Judæos necesse sit, qui inde contra Christum nostrum argumentum arripuerunt, quod sustinenda mortis genus, Crucis scilicet, obiter inuisset, Ergo, inquit, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, Joannis 12. v. 23.

Daniel in eo præcelebri vaticinio, quo Messiam post certas hebdomades venturum vaticinatus est, Cap. 9. v. 26. Eum tandem occidentum discrete significat: *Post hebdomadas, inquit, sexaginta duas occidetur Christus.*

Sapiens Cap. 2. v. 18. impiorum adversus Christum conatus, & oblocutiones percensens, ita illos in eum blasphemantes inducit, ut mortem ei turpissimam inferant: *Tanquam nugæ estimati sumus ab illo, et abstinet se a visis nostris, tanquam ab immunditiis, et præfert novissima iustorum, et gloriatur patrem se habere Deum. Videamus si sermones illius veri sint, et tentemus, que ventura sunt illi, et sciemus, que erunt novissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet eum, et liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia, et tormento interrogemus eum, et sciemus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius, morte turpissima condemnemus eum. Quo nihil disertius, nihil apertius.*

Isaias Christi in subeunda morte mansuetudinem commendans, eundem profecto moriturum pro certo ponit, Cap. 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondeute se obtutescet, et non aperiet os suum. De angustis, et de iudicio sublatu est, generationem ejus quis enarrabit? Quia abscessus est de terra viventium. Propter scelus populi mei percussus eum. Quo oraculo disertissimo Eunucum Regiæ Candaci, ad Christi fidem vocatum scribit Lucas, dum ejus illi sensum Philippus aperuit, Actorum Cap. 8.*

Non absumilliter Jeremias Cap. 11. v. 19. Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: et non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia dicentes: mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et non enim ejus non memoretur amplius.

Omnibus vero explicatus Zacharias Cap. 12. v. 10. ubi Deum ita loquentem inducit: *Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, et precium, et aspicient ad me, quem confixerunt. Et plangent cum plangentibus quasi*



quasi super unigenitum, & dolere super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.

Quis ergo Judæos ferat tam temere, tamque audacter effurientes, Christum a lege promissum nequaquam fuisse moriturum; eaque de causa Jesum nostrum pro vero Christo, atque Messia promissum haberi non posse, quod is morte, eaque turpissima sit affectus? Cum contra, hoc ipsum Prophetæ veteres præcinerint, fore ut Christus turpissimam mortem obiret.

III. At nec id satis. Nedom moriturum Messiam Sacri Vates cecinerunt; verum etiam mortis genus, quo Nazarenus noster affectus est, omnesque appetitæ mortis adiuncta, & circumstantias adeo distincte, & explicite notarunt, ac reulerunt; ut illum ipsum exerto digito demonstrasse, nec tam prophetias, quam Evangelium adornasse, videantur.

Quid etenim? Jesu nostro capiendo, tenendo, ducendoque ad mortem, præfuit Principum Sacerdotum, seniorumque consilium; de quo Matthæus Cap. 26. v. 3. *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent.* Et hoc ipsum David vaticinatus est, Psal. 2. v. 2. *Aspicerunt Reges terre, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Figurata vero Psal. 21. v. 12. *Circumdederunt me viri multi, tauri pingues obsecraverunt me; aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens. . . . Quoniam circumdederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me.*

Jesu noster venditur triginta argenteis, ejusque venditionis pretio projecto, ager figulinus emitur. Et hoc præcinerunt etiam a Zacharia, Cap. 11. v. 12. *Appendiderunt mercedem meam triginta argenteis. Et dixit Dominus ad me, proice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appetiatus sum ab eis. Et tibi triginta argenteos in domum Domini ad statuarium. Similiter ab Amos, Cap. 2. v. 6. *Hec dicit Dominus, super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non convertam eum, pro eo quod vendideris pro argento justum, & pauperem pro calcamentis: Hoc est vili pretio, quod vix emendis detritis calcamentis sufficisset.**

Jesu a Judæis captus ducitur ad tribunal. Prædictum hoc etiam a Jeremia, Threnorum Cap. 4. v. 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est, in peccatis nostris.*

Jesu noster conspuitur, & in faciem cæditur. Præcinerunt & id Prophetæ non pauci: Isaias Cap. 50. v. 6. *Corpus meum dedi percipientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Jeremias Threnorum Cap. 3. v. 30. *Dabit percipienti se maxillam, & saturabitur opprobriis.* Michæe Cap. 5. v. 1. *In virga percipient maxillam Judæis Israel. Quo titulo non alium nisi Christum intellectum voluit: de quo Isaiæ 33. v. 22. dicitur: Dominus iudex noster, Dominus legislator noster, Dominus Rex noster; ipse salvabit nos.*

Jesu noster flagellis cæditur. Et id a Davide prædictum Psal. 34. v. 15. *Adversum me lætati sunt, & convenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* Psalmo 37. v. 18. *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Psalmo 72. *Fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.*

Jesu noster inique a falsis testibus accusatur. Præcinerunt & hoc Regius Vates, Psal. 34. v. 11. *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.* Psal. 37. v. 13. *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Psal. 26. v. 12. *Insuperaverunt in me testes*

iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Jesum ad montem Calvarie procedentem, & Crucem, quam gestabat, fuffigendum, plangentium, & lamentantium turba comitatur. Præcinerunt hoc Zacharias Cap. 12. v. 10. *Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, et precum, et aspicient ad me quem confixerunt. Et plangent eum planctu, quasi super unigenitum, et dolent super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.*

Jesu noster ligno Crucis suspenditur, pedibus, manibusque confossis. Ita plane prædictum a multis. Ab Jeremia Cap. 11. v. 19. *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: et non cognovi, quia cogitaverunt supra me consilia peccata, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium.* A Davide Psal. 21. v. 17. *Foderunt manus meas, et pedes meos, et dinumeraverunt omnia ossa mea.* A Zacharia Cap. 13. v. 6. *Quid sunt plage istæ in medio manuum tuarum? Et dicit, his plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.*

Jesu una cum latronibus Crucis suffigitur, & pro suis tortoribus Deum rogat. Sic sane Isaiæ 53. v. 12. *Cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit: et pro transgressoribus rogavit.*

Jesu nostri de Cruce pendentes vestimenta partiantur sibi Milites; in tunica inconfutibilem mittunt fortem. Ita plane Psalmo 21. v. 19. *Ipsi vero consideraverunt, et insperaverunt in me: diriverunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

Jesu in Cruce sitiens felle, & aceto potatur. Ita Psalmo 68. v. 22. *Dederunt in escam meam felle, & in siti mea potaverunt me aceto.* Et Jeremia Threnorum Cap. 3. v. 15. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio. v. 19. Recordare pauperatis meæ, & transgressionis meæ, absinthii, et fellis.*

Jesu Noster in Cruce pendulus irridetur a prætereuntibus capita sua moventibus, ac tolerata etiam supplicia exprobatibus. Est & id apud Davidem Psalmo 21. v. 7. *Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt Caput: speravit in Domino, eripiat eum; saltem faciat eum, quoniam vult eum. Quæ plane iisdem ferme verbis, Christo probra jaciebant Principes Sacerdotum cum scribis, & senioribus: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest saltem facere: si Rex Israel esset, descendat de Cruce, et credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc si vult eum; dixit enim quia filius Dei sum.* Matth. Cap. 27. v. 42. *Iterum Psalmo 88. v. 52. Exprobraverunt inimici tui Domine, exprobraverunt commutationem Christi tui. Item Psal. 108. v. 26. *Ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita sua.* Quæ omnes impiorum in Christum de Cruce pendentem derisiones, & probra distinctius præcinerunt, laudato supra Sapientie loco, Cap. 2. v. 18.**

Jesu tandem moriente, sol obscuratur, tenebre scit dies, terra movetur, in signum doloris, & luctus. Neque id a Prophetis silentio missum: Amos Cap. 8. v. 8. *Nunquid super isto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator ejus? . . . Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet Sol in meridie: & tenebrosere faciam terram in die luminis: & convertam festivitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum.* Joel Cap. 2. v. 10. *A facie ejus contremuit terra, moti sunt Cæli: Sol, & Luna obtenebrati sunt; stelle retraxerunt splendorem suum.*

Cum ergo, & Messiam moriturum Prophetæ dixerint; & mortis a Jesu nostro appetitæ circum-

cumstantias tam multas, tam singulares, quæque in alium neminem cadant, minutatim atque distincte notantur; tantum abest, ut ei Messia titulum propterea derogare Judæi possint, quod mortem obiret, ut potius, non alium ab eo agnoscere atque excipere cogantur, quem intendo veluti digito, Prophetæ veteres præmonstrant.

IV. Unam forte Judæi evadendi sibi viam aperient, si dixerint: quæ hæcenus magno numero prolata fuit Prophetarum Oracula, quæ Christus patiens moriensque præsignatus est, de Christo illiusque morte non esse propheticæ dicta; est casu dumtaxat atque fortuito, in illo exitum habuisse videantur. At nec illa quidem evadent via, nisi duo hæc simul ostenderint: primum, de quo alio propheticæ dicta sint: alterum, in quo alio exitum obtinuerint: quæ tamen, quantumlibet ingenium torqueant, nunquam ostendent. Ac de Davide quidem plana res est, illum non de se ipso, sed de altero quopiam dixisse propheticæ, quæ ex ipsius Psalmis hæcenus recitavimus; et illatas sibi injurias narraffe videatur. Quandonam enim aut flagellis cæsus est David, aut ab iniquis testibus accusatus, aut pedes manusque confossus, aut cum sceleratis reputatus, aut felle, & aceto potatus; aut ejus demum vestimenta inter prædatores divisa sunt, aut fortitione illis sunt attributa? De Christo itaque certissime dixit Propheta Regius, cujus & ipse typus erat, cui & ipsum Davidis nomen sacris in litteris sæpius attribuitur. De Salomone, Isaiæ, Jeremia, Zacharia, Michæa, & Amos, nil minus certum, illos de Christo perinde dixisse propheticæ: seu quod res narrent, que in illos ipsos minime cadant: seu quod Christum ipsum, cui eventura erant, ex ipsius nomine nonnumquam appellent: seu quod Deum ipsum, qui hæc a Judæis in assumpta natura passurus esset, loquentem inducant. Neminem autem unquam inventum esse, in quo quæcumque ex laudatis Vatis recitata sunt, exitum habuerint; usque adeo notum est, ut ne Judæos quidem, tamen obitate refractarios, inficiaturos putem.

V. Nonnulla potius, quantum conjicio, ex prolatis vaticiniis cavillabuntur; que de Christo minime dicta contendunt, ac longe alio referenda volent. Et quidem, in Amosi oraculo nodum querunt illorum aliqui: *Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor, non convertam eum, pro eo quod vendideris pro argento justum.* Cap. 2. v. 6. Quod de futura Christi venditione (cujus causa sine ulla spe veniæ Israelæ repulerit Deus) propheticæ dictum infanciantur, sed de Josephi venditione historice dictum volunt. Inepte tamen, & contra facti noticiam. Non enim Josephi venditio, quarum Israelis scelus numeratur, sed primum: neque illius causa, absque conversionis spe repulsus est Israel, sed charus etiam Deo subinde fuit. Hoc etenim ordine, Israelis scelera recensentur, juxta sacrarum Scripturarum fidem; ut primo loco Josephi venditio ponatur; secundo, adoratio vituli in Oreb; tertio, occisio Prophetarum: quibus tamen venia data est: quarto, venturi Christi venditio; omni conversionis, & veniæ spe Israelis proflus adempta.

Vitilibrant alii longe plures, Versiois vulgaræ lectionem, ad Psalmodum 21. v. 17. *foderunt manus meas, et pedes meos: additque pro arbitrio punctis hebraicis, non utique foderunt, ex hebraico vocabulo Charu, legi volunt, ne tam patienti vaticinio convincantur; sed sicut leo, ex vocabulo Chari, legi malunt: ex quo nullus plane sensus elicitur. Quid etenim sibi vult, sicut leo manus meas, et pedes meos? cum præsertim*

quæ sequuntur minime congruant, et dinumeraverunt omnia ossa mea; quæ tam belle cum priori vulgaræ lectionis parte consentiunt. Sed & audacibus interpolatoribus ora verberant septuaginta Interpretes, qui Chari non Chari in hebraico textu legerunt; foderuntque, non sicut leo verterrunt: ita quippe adamussim reddidere *אֵיבָוּתָא מַעֲבָדֵי יְהוָה מְעַבְרֵי, foderunt pepes meos, et manus.*

Cavillantur pari audacia, allatum supra Oraculum Jeremiæ, Thren. 4. v. 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Quod non de Christo promissum, seu Messia, dictum existimant, sed de Josia Rege, qui non pro suis, sed pro populi peccatis a Nechaone Rege Ægypti, occisus est. Verum cavillatoribus refractariis os obstruit Paraphrastes Chalæus, missis circuitionibus, & ambagibus vertens, *Rex Messias captus est: infringit, & ipse textus hebraicus; qui loco vocabuli Dominus, Dei nomen Tetragrammaton ponit, Jebora scilicet, nulli plane aut appropriatione aut accommodatione conveniens, sed ei soli, qui natura ipsa sua Deus est.*

Nugantur demum in Regii Vatis dicto, Psal. 72. v. 14. *fui flagellatus tota die:* quasi de Christo nostro nequeat intelligi; qui non tota die, sed media vix hora, de mane flagellatus est. At non advertunt, si nugis illis est locus, neminem omnino fore, in quem Regii Vatis verba cadere possint: cum nemo unquam die tota, & integra flagellatus invenitur. Horum ergo verborum duplex est sensus: primus, ut flagellorum nomine, non verbera dumtaxat intelligantur, sed quæcumque tormenta, quæcumque supplicia, quæcumque poenæ, per totam illam diem toleratæ, quæ a matutina castigatione, seu verberatione initium habuere: qua de causa sit dictum, *fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.* Alter sensus est, ut Christus flagellatus sit tota die; quod flagellorum verberumque dolorem fenferit totam diem; ob illorum nimirum acerbiter, illataque sibi plagas atrocissimas: tamen die mediam dumtaxat horam, de mane, flagellatio tenuisset.

Stant itaque undecumque, omnique ex capite invictæ probationes, quibus primam statuta assertionis partem ostendimus: promissum sacris Oraculis Christum, mortem eamque turpissimam fuisse subiturum. De cetero, eundem illum noxas hominum proprio sanguine expiaturum fuisse, (quod membrum statuta assertionis est alterum) ex superiori demonstrato capite, confectarium arbitror. Cum id non ob aliud Judæi infanciantur, quam quod Messiam nequaquam moriturum existimant. Unicum, ad causæ cumulum addam Isaiæ oraculum Cap. 73. v. 4. *Quod aliorum bene plurium instar erit: Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Et nas putavimus eum quasi leprosum, & percussam a Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & irrore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. . . . Propter scelus populi mei percussit eum. Quod ad præsens institutum satis superque est.*

VI. Nec quemquam movere potest decantata toties Iudæorum cantilena, qua Christi Regni perennitatem ostentant, ut eum nusquam moriturum evincant. Imo idcirco moriturum fuisse dicimus, ut Regnum æternum atque cœleste adipisceretur. Cum etenim Messie Regnum toties a Prophetis descriptum, ac præcinerunt, non terrenum sed spirituale omnino sit, non hujus mundi sed alterius; mori illum necesse fuit, ut obiret



mortis merito, Regnum eternum obtineret, hominibusque sanguine suo queclis atque redemptis, in omne ævum dominaretur. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut & viciorum, & mortuorum dominetur. Rom. 14. v. 19. Nonne hec oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Lucæ 24. Cap. 26. Qua parte Judæi deluduntur turper, seque supinos, ac cæcos Scripturarum Interpretes produunt: dum Messie Regnum, de quo toties mentionem ingerunt sacri Codices, aut mundanum, hujusque sæculi, aut aliter quam obite mortis merito, ei datum arbitrantur. Supinam cæcitatem castigant laudata Prophetarum Oracula. Hinc Isaias Cap. 57. v. 12. Christo dominatum atque triumphum, non nisi in meritum mortis oppetite, adjudicat: Ideo disperiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradiderit in mortem animam suam. Hinc idem ille Evangelicus Vates promissum Messiam, non presentis, sed futuri sæculi patrem appellat; ejusque principatum, non nisi ex Cruce ipsa, quam humeris gestaturus erat, derivavit Cap. 9. v. 6. Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis; & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Hinc & Propheta Regius, Christum gentium populorumque caput constitutum monet, non ob aliud, quam ob toleratam contradictionem, & reprobationem ab impiis: Psal. 17. v. 44. Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium. Psal. 117. v. 22. Lapidem quem reproboverunt edificantes, hic factus est in caput anguli. Sed est illa Judæorum densa cæcitas, ut quoties de Regno eterno audiunt, non nisi terrenum intelligant: quoties de Davidis solio in ævum possidendo, & instaurando legunt, nil nisi mundanum cogitent, externo mortifere littere sensui dumtaxat herentes. Adeo scilicet, juxta Isaiæ pronuntiatum Cap. 6. excæcatum est cor populi hujus; bonisque terrenis, ac perituris dumtaxat inhiat, more pecudum, quibus nulla future superneque vite spes est. Incrassatum est cor populi hujus, & auribus graviter audiverunt, & oculos suos compresserunt; ne forte videant oculis, auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanent eos. Actorum Cap. 28. v. 27.

## EXERCITATIO VIII.

De septima prænunciati Christi nota; Non purum hominem futurum, sed hominem Deum, cum hominibus conversantem.

I. Mirum forte videri quæ Judæos, qui in reddenda promissi sibi liberatoris imagine, audaci adeo liberoque usi sunt penicillo, ut illum, contra quod veritas habet, gentium dominatorem, bellicosum, copiarum ductorem, ac prorsus immortalem effingerent; eandem tamen (quod verissimum erat) Deum verum, factum hominem, & cum hominibus conversantem, ne leviter expressisse. Nihil tamen est quod miremur, si alterum, quo tenentur, errore attendimus. Fecit hoc enim fatalis illa, qua jam dudum laborant, Mysterii Trinitatis ignoratio. Cum enim promissum sibi Messiam, liberatoremque, a Deo mittendum ubique legerint; Deum autem uti natura, ita & persona unum, non trium agnoscant: necessaria consecutione factum est, ut Messiam illum suum, non Deum, a quo mitti debuit, sed alterum a Deo, sibi fingerent. Cum contra, si Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, ut Catholica fides habet, genitum agnovissent; Deum a Deo

in assumpta hominis natura, mitti posse, de facili comperissent. Ut igitur hunc illis scrupulum eximamus, nobilissimamque adumbrati Messie notam, ex qua maxime dignosci debeat, præfiguramus, ac definiamus; illud nunc, quod rei caput est, ex veteris Testamenti Oraculis, ostendere aggredimur: Messiam, tamen mittendum a Deo, Deum tamen, & ipsum esse debuisse, in assumpta hominis natura cum hominibus conversantem. Unde & hoc alterum Judæi simul intelligant: Deum tamen individua natura, non ideo tamen persona unum esse; sed Deum de Deo, ex ipsa eternitate, mente genitum: ut & hoc pacto a genitore genitum mitti, in assumpta natura, ac etiam in tempore nihil vetet, nihil repugnet.

II. In eo sacrorum Oraculorum genere limpidissimum, disertissimumque illud mihi semper visum est, quod legitur in libro Baruch; qui tamen hebraice modo non extat, hebraicam tamen originem refert: Cap. 3. v. 36. Hic est Deus noster, & non estimabitur alius adversus eum. Hic advenit omnis viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hec in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. De vero etenim illic Deo sermone fieri, ne Judæos quidem arbitror negaturos: de suo inquam Deo, quem coluerunt, & adorant, a quo & disciplinæ legem acceperunt. Is autem, si Baruch Jeremie scribæ, & amanuensis fides est, in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Quod sane aut nupsiam, aut in Christi promissi persona exitum habuit. Deus igitur ille fuit, & in terris visus, & cum hominibus conversatus.

Reponent illi forte, Deum, ex Baruchi vaticinio, in terris videndum fuisse, & cum hominibus conversatum, non persona propria, nature nostre substantialiter unita, atque ita hominum oculis conspicua; sed sola miraculorum, & prodigiorum patratione, que in electi populi beneficium editurus erat. At si non alio pacto Deus videndus fuisset in terris, nihil singulare, ac peculiare in futurum tempus promississet Baruchus, ut diceret, post hec in terris visus est: cum tot tantaque portenta atque prodigia, in tradenda disciplinæ lege, diu ante edidisset. Ut sileam, Deum, quod in hominum beneficium prodigia patret, non idcirco censerem, cum hominibus conversari; nisi quamdam nobiscum in natura communionem, & societatem habeat. Accedit, quod patrationem miraculorum Prophetae quandoque notent, tamquam quid consecrarium, ac veluti fructum Dei ipsius ad nos venientis. Isaiæ Cap. 35. v. 4. Deus ipse veniet, & salvabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Et Cap. 25. v. 9. Ecce Deus noster ipse, expectavimus eum, & salvabit nos. Ipse Dominus, sustinuit eum, & exultabimus, & letabimur in salutaribus ejus. Requiescat manus Domini in monte isto: & trivirabitur sicut veruntur paleæ in plausro, & extendit manus suas sub eo, sicut extenditur natans ad natandum, & humiliabit gloriam ejus cum altissime manuum ejus. Non igitur eatenus ad nos Deus ipse venisse censendus est, non eatenus a nobis est visus, ac nobiscum est conversatus, quod ejus nomine atque virtute ingentia sicut patrata miracula: sed quod præsens ipse, nobiscum in humana natura sibi unita conspicuus, miracula illa patrarit, nostramque salutem sit operatus.

III. Pari, ad præsens institutum nostrum, vi ac potestate est Isaiæ vaticinium Cap. 48. v. 12. & sequentibus, si penitus expendatur, & primis ultima conferantur. Audi me Jacob, & Israel, quem

quem ego voco. Ego ipse, ego primus, ego novissimus: manus quoque mea fundavit terram, & dextera mea mensa est Cælos. . . . Accedite ad me, & audite hoc: non a principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret ibi oratio: & nunc Dominus meus misit me, & Spiritus ejus. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas. En tibi Deum verum, finem utique atque principium rerum omnium, Cæli, & terræ conditorem, qui se a domino suo missum dicat in salutem, & redemptionem Israel. Deum ergo de Deo fieri necesse est, Deum verum de Deo vero, ad salutem hominum missum, ut in assumpta natura Israel em redimeret. Quis ille porro, nisi Messias Israeli, ac per Israel mundo promissus?

In eundem plane sensum Cap. 45. v. 14. Hæc dicit Dominus labor Ægypti, & negotio Æthiopiæ, & Saba viri sublimis ad te transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt vincit manus, & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te est Deus, & non est absque te Deus: vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. Et hic quoque qui loquitur, verus Deus est: Hæc dicit Dominus Rex Israel, & redemptor ejus, Dominus exercituum: ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus. Qui igitur in salutem Israelis venturus erat, Deus verus est a Deo vero missus; cum quo tamen unus, ac solus est Deus, unitate nempe nature, etsi persona ab eo distinctus.

Nec absumiliter Zachariæ Cap. 2. v. 8. & sequentibus, Dominus exercituum, sese a Domino exercituum missum dicit, bis ac etiam tertio: missum autem etiam ad gentes, ut & illæ ad Deum converterentur, ejusque tunc demum populus fierent. Hæc dicit Dominus exercituum: post gloriam misit me ad gentes, que spoliaverunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Quia ecce ego levo manum meam super eos, & erunt prædæ his qui serviebant sibi: & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. Lauda, & letare filia Sion, quia ecce ego venio; & habito in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies quia Dominus exercituum misit me. Quis non hic Deum verum a Deo vero missum intelligat: Messiam Deum, a Deo patre; cum quo tamen natura unus est Deus, etsi persona distinctus ab eo? Observatio est Augustini lib. 20. de Civitate Dei Cap. 30. Ecce dicit Dominus omnipotens, a Domino omnipotente se missum. Quis hic audeat intelligere, nisi Christum loquentem? Quod idem ex altero paris formæ Oraculo intulerant Patres Concilii Sirmiensis; ex Genesis scilicet dicto, Cap. 19. v. 24. Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrbam; sulphur, & ignem a Domino de Cælo. Ita quippe Anathemate 16. pronuntiant laudati Patres, ut est apud Hilarium libro de Synodis: Si quis, pluit Dominus a Domino, non de filio, & Patre intelligat, sed ipsum a se dicat pluisse, anathema sit. Pluit enim Dominus filius a Domino patre.

IV. Confirmat ista vel maxime, quod promissio Messie tribus divinitatis prærogativas legamus, characteres, ac titulos, iis ipsis Scripturæ Sery Tom. III.

locis, quos de Messia scriptos, Judæorum vulgus agnoscit: Ut perennitatem, Psalmo 71. v. 5. Permanebit cum Sole, & ante Lunam, in generatione, & generationem. Totius mundi dominatum: v. 8. Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos Orbis terrarum. Adorationis cultum eidem a Regibus exhibendum; v. 11. Adorabunt eum omnes Reges terre, omnes gentes servient ei. Miserorum liberationem per ipsum afferendam: v. 13. Pauperes, & inopi, & animas pauperum salvos faciet: ex usuris, & iniquitate redimet animas eorum. Benedictionem gentibus omnibus largiendam: v. 18. Benedicentur in ipso omnes Tribus terre, omnes gentes magnificabunt eum. Nomen ejus in æternum benedicendum: v. 17. Sit nomen ejus benedictum in secula, ante Solem permanet nomen ejus, v. ult. Benedictum nomen majestatis ejus in æternum, & replebitur majestate ejus omnis terra. Aternitatem demum: Michæ Cap. 5. v. 2. Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel: et egresus ejus ab initio a diebus æternitatis. Futile quippe est quod nonnulli Rabbinii reponunt, Messiam ex æternitate esse oportere, in mente divina dumtaxat, non in se ipso. Nihil enim peculiare, ac singulare habere eo ex capite; cum ex æternitate in mente divina sint quæcumque creaturæ, ex ipsarum etiam conditione viliissima.

Nec modo Divinitatis prærogativas, ac notas promisso Christo tribuas legimus, sed & distinctum Dei nomen eidem asserunt: Isaiæ Cap. 9. v. 6. Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus. Et vocabitur nomen ejus, admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Ingentis enim audaciæ est, Dei nomen in eo Isaiæ Oraculo expunctum velle, quod & Textus hebraicus, & Chaldaica paraphrasæ, & versiones Syriaca, & Arabica constantissime retinent: Aut etiam, quod stultius est, totum Oraculum ad Ezechiam inslectere, ut Judæi sæpe faciunt. Quasi vero, & futuri sæculi pater, & pacis æternæ princeps, & super solium David æternum sessurus, dici poterit Ezechias? Quibus tamen titulis suum illum parvulum nasciturum ornat Propheta sanctissimus: Pater, inquit, futuri sæculi, princeps pacis: multiplicabitur ejus imperium, et pacis ejus non erit finis; super solium David sedebit in sempiternum. Ut sileam, Ezechiam multos tunc annos numerasse, dum sacrum oraculum funderet Isaias.

Sed nec qualemque Dei nomen Messia tributum legimus; sed sacrum & ineffabile Tetragrammaton Jehova; quod nulli plane creatura quantumlibet præcellenti, per figuram, & translationem accomodari potest, sed huic uni designando consecratur, qui solus natura sua verus est Deus. Videas id in Jeremia Cap. 23. v. 5. Ecce dies veniunt dicit Dominus, et suscitabo David germen justum: et regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet iudicium, & justitiam in terra. Quod certe de venturo Messia dictum, ne Judæi quidem inficiantur. Tum sequitur et vestigium: In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus justus noster. In hebræo vero, pro Dominus, est nomen Jehova. Uti & Cap. 33. v. 14. & sequentibus, ubi eadem sententia paucis immutatis recitatur: Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel, & ad domum Juda. In diebus illis, & in tempore illo, gemitare faciam David germen justum, & faciet iudicium, & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit